

† R. P. Cornelius van Coll.

Veteranus revera ex missionariorum numero in regionibus transmarinis. Anno enim 1871 in Surinamensem missionem missus annos quinquaginta pondus aestumque diei portans magna cum virtute in animarum salute procuranda sudavit.

Natus est in pago Nuenen dioecesis Buscoducensis in Hollandia die 30 ianuarii a. 1842 parentibus piis honestisque. A puero in Dei timore enutritus in pago natali primis eruditionis elementis imbutus studiorum

causa in seminarium Gestel S. Michaelis missus, unde in seminarium maius Haarenense transiens in studiis philosophicis progressus haud spernendos fecit. At cum mater vidua in morbum incidisset, ipse filius unicus domum redire coactus est, ut per nonnullos annos eam sustentaret. Studiis deinde avunculo sacerdote, qui prius in Americae missionibus laboraverat, adiuvante iterum assumptis, cum animus ad altiora tenderet, ad Congregationem SS. Redemptoris se convertit. Die 15 octobris 1869 Trudonopoli novitiatu incepto die 17 octobris anni sequentis vota perpetua emisit. Tum Wittemii disciplinis theologicis studiosissime absolutis adhuc diaconus una cum altero diacono Ioanne Broos et Fratre laico Nicasio in missionem Surinamensem, quae a. 1866 a Pio PP. IX provinciae nostrae Hollandicae demandata erat, migravit.

Colonia Surinamensis seu Guyana Hollandica regio est inter Guyanam Britannicam et Gallicam in America meridionali, territorium ipsa Neerlandia duplo maius. Finitima mari tellus alluvione fertilis, cetera inculta, collibus silvisque operta, fluminibus et rivulis intersecta

sunt. Coelum calidum quidem, at satis humidum, hominibus Europaeis, modo prudentiae leges servent, non insalubre. Calores a 20° ad 35° C ascendere solent, medii 27° C attingunt. Incolarum anno adventus P. van Coll fere 60.000 numerabantur, nunc ad 100.000 accreverunt, e quo numero 22.000 catholicorum sunt, sed ex omni fere mundi natione. Praeter Indos indigenas, quorum tria sunt genera, nigritae adsunt et nigrantes, Europaei praeterea et immigrantes ex India Hollandica, Javenses, ex India Britannica Hindustani, Mohametani, multi etiam Sinenses. Accedunt nigritae silvestres, homines rudes, idololatrae, atque ad res supernas ingenio tardissimi, qui servi olim ex Africa traducti e navibus et plantariis effugerunt hodieque etiam in silvis vagantur.

In tanta hominum congerie curam animarum difficilem esse perspicuum est, praesertim cum mores inter eos tales sint, ut illud Apostoli de eis dici posse videatur: « Coluerunt et servierunt creaturae potius quam Creatori, ... propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae » (Rom. I, 26).

Die 11 novembris 1871 Cornelius van Coll in vineam hanc advenit atque die 10 decembris a Vicario Apostolico Ioanne Swinkels C. SS. R. sacerdotio initiatus est. Inter confratres, qui cum episcopo manus ordinando imposuerunt, Ven. S. D. Petrus Donders erat, qui permultos iam annos in



Batavia inter leprosos suos laboravit. Ex eo tempore P. van Coll inter prae-stantissimos missionis sodales numerabatur, donec viribus iam fractis ab omni opere et labore abstinere coactus mente debilitari et offuscari coepit. Multos primum per annos in urbe capitali Paramaribo curam animarum gessit, quae difficillima est. Praecipuum ibi munus missionarii est religioni salutique animarum prospicere visitando per domos familias, aegrotantibus omnis condicionis assistendo, domesticas difficultates componendo, vacillantes in fide confirmando, languentes excitando, multos utriusque sexus homines ab impura vita ad honestatem reducendo, nulli denique industriae parcendo, ut ad iustum matrimonium ineundum adducantur. Qua in re illud « Patientia vobis necessaria est » a S. Paulo sibi dictum esse P. van Coll credere potuit. Facile enim nigritae discessuros se esse ab illicita cohabitatione, ad confessionem venturos omniaque facturos promittunt, quae postulat missionarius, quae tamen promissiones in aqua scriptae videntur. Nec tantum in urbe laborum satis erat, sed itinera etiam in plantaria suscipienda, ad fundos nigritarum camposque Indorum. Singulis vel alternis saltem mensibus singula illa plantaria visitanda erant. Sed P. van Coll per horas diesque continuos in tenui navigio tentorio instructo, in remunculo, immo in arbore naviculae in modum cavata sedens immotus rapida flumina rivulosque modo profundissimos, modo vadosos traicere, cum optima semper esset valetudine, animarum zelo inflammatus in deliciis habuit.

Anno 1880, cum Vicarius Apostolicus H. Schaap Romam ad limina Apostolorum proficisceretur, P. van Coll provicarii munere functus est. Cum vero a. 1883 V. S. D. P. Donders per aliquod tempus a leprosis suis discedere cogeretur, cum P. Ioanne Bakker, qui ipse lepra aeger erat, in Batavia eorum curam suscepit duosque annos egit; quo tempore, quia P. Bakker omnem operam suis leprosis impendere potuit, alius operandi ager confratri nostro apertus est, in quo multum deinde sudavit. Ad Indos enim Caraibas, qui ad flumina Coppename, Tiliti et Wayombo a duobus iam saeculis vitam silvestrem vagi agunt, iter direxit, ut eis evangelium praedicaret. Eorum pagi non solum compluribus leucis, immo diebus inter se distant, sed etiam sola via per flumina difficillima peti possunt. Et hic P. van Coll, ut erat homo non solum animarum studiosissimus, sed etiam litterarum, cum intellexeret se cum felici successu verbum Dei praedicare non posse, nisi linguam eorum didicisset, ad eam addiscendam et perscrutandam se convertit. Mox itaque sine ullis mediis vel libris linguae caribicae grammaticam componere ei contigit, et a. 1887 catechismum caribicum 87 paginis constantem edidit. Quo in genere hic statim adiungere licet hoc idem eum postea, cum Indos Arrowakkos visitaret, praestitisse catechismo eorum lingua conscripto, quae a Caraibis omnino diversa est.

Anno 1886 Vicarii Apostolici iussu in patriam perrexit, ut per parochias de missionis inopia praedicaret stipemque colligeret. Die 30 maii

redux itinera sua ad plantaria et Indorum campos iterum assumpsit. Ut autem media quaedam statio haberetur, unde nigritae et Indi facilius visitarentur, a. 1890 fundamenta iecit stationis, quam *Marianella* vocavit. In plantario *Quattuor Infantium* (*Vier Kinderen*) mediis in silvis ad fluvium Tanayekoere sita est. Neque in ea condenda difficultates defuerunt. Et ecclesiam, et scholam, et domum Patrum aedificari oportebat, ad quae nigritae plantarii omnia ligna ad aedificandum necessaria se suppeditaturos esse promiserant. Sed lignis ad scholae aedificium subministratis sibi ecclesiae opus non esse communi consensu professi sunt. At P. van Coll « Ego igitur », inquit, « scholam vestram in ecclesiam convertam, nam mihi schola opus non est ». Qua re permoti nigritae paulatim omnia ligna ad aedificandum necessaria comportaverunt. In ipsa autem domo multa necessaria defuerunt. Sed ecce ingeniosam rerum egestatem! Cum horologium, quo e somno excitaretur, deesset, missionarius sportulam cum gallo sat grandi in cubiculum inducebat, cuius sane cantu summo mane somnolentum increpante strenue surgebat.

Usque ad a. 1898 P. Cornelius stationi Marianellanae tanto cum studio et fructu praefuit, ut a. 1895 Vicarius Apostolicus G. Wulfingh ad benefactores in patriam de ea scribere posset: « Patres nostri hac in regione magnum operantur bonum, et quamquam ex incolis multi adhuc pagani sunt, tamen conaminibus nostris Deus mire benedicit ».

A. 1896 P. Provincialis, cum vice-provinciam visitaret, et stationem in *Marianella* vidisset, dixisse fertur talem virum in silvis vitam degere dolendum esse. Itaque mirum non est, quod proximo triennio P. van Coll vice-provinciae visitor rectorque collegii SS. Petri et Pauli in Paramaribo constitutus est. Quo in munere omnes nervos eo convertit, ut visitationibus crebro factis multisque praesertim litteris circularibus ad omnes vice-provinciae alumnos datis regularem observantiam stricte confirmaret. Difficultatibus quibusdam in missione exortis a. 1904 a Rño P. Generali Raus Romam vocatus est, redux vero vice-provinciam usque ad annum 1907 sapienter gubernavit, quo tempore successoris sui consultor dictus multum adhuc in suggestu et confessionali laboravit.

Inter hos missionarii superiorisque labores autem P. van Coll ad missionis scientiaeque usum penna sua laborare non destitit. A. 1886 librum de moribus institutisque Indorum in Suriname incolentium (*Zeden en Gewoonten der Indianen in Suriname*. Gulpen, Alberts), et mox alterum de regione populoque Surinamensi (*Gegevens over Land en Volk van Suriname*) edidit, quo praesertim hominum doctorum animos ad se convertit, ita ut regalis Neerlandica societas geographica (*Koninklijk Nederlandsch Aardrijkskundig Genootschap*) socium eum legerit et regina Wilhelmina insignibus ordinis Oranje-Nassau decoratum esse voluerit. In libro porro periodico celeberrimo, cui « *Anthropos* » inscribitur, de Indorum moribus

lingua et germanica et gallica scripsit. In ephemeride autem *De Surinamer*, quae a missione ipsa editur, commentarii variis argumentis pleni ab eo scripti inveniuntur. Quandocumque opus erat sive incredulorum, sive aatholicorum commenta refutare, calamo suo acerrimo doctrinam catholicam evicit esse veram, ut liber eius demonstrat, quo impetum Fratrum Moravorum, qui Hernhuttani dicuntur rettudit (*Katholiek Verweer tegen Hernhutter Aanval*).

Ultimis vero annis confrater carissimus mente debilitari coepit, ita ut mox a s. sacrificio celebrando abstinere cogereetur. Ideo iubilaea eius adventus in missionem sacerdotiique aurea sub finem anni 1921 festive celebrari non potuerunt. Ipse enim mente in infantiam paene redierat. Ex quo miserando statu paulo post ereptus est, cum die 13 aprilis 1922 s. sacramentis tempestive munitus ad meliorem vitam migravit, ubi eum coronam illam accepisse confidimus, quam S. P. N. Alphonsus genuinis Congregationis filiis in coelo paratam esse praedixit. R. i. p.!